

† R. P. Honoratus De Nys (1848–1929).

(*Prov. Belg.*)

Die 28 Februarii 1929 ad S. Gerardi in Esschen pie obiit R. P. Honoratus De Nys. Tranquilla et fere iucunda eius mors dignus fuit finis vitae cum longae tum usque ad ultimum diem fructuosae.



Natus erat die 12 Decembris 1848 in Wetteren dioec. Gandavensis. Pater eius erat vir summae prudentiae, cuius consilia vicini et necessarii libenter petebant. Mater autem, liberalitate erga pauperes maxime nota, saepe ad officia caritatis liberorum ministerio utebatur, ut a prima aetate eos hanc christianam virtutem doceret. A parentibus igitur habuit et eminentem illam prudentiam et plenam caritate mansuetudinem, qua, ubicumque permansit, aliorum fiduciam et affectum sibi devinxit.

Studia humaniora perfecit in minori Seminario Sancti Nicolai. Ibidem vocationem suam sacerdotalem secutus, philosophiae magistrum habuit R. D. Stillemans, postea Illustrissimum Episcopum Gandavensem. Studiis theologicis Gandae peractis, sacerdos ordinatus est die 19 Decembris 1874.

Post quattuor illa triennia forsā se quiescere posse sperabat. Sed aliis in littoribus Congregatio eius consilio indigebat. Maria igitur transfretavit et longinquas Canadenses regiones petivit. Ibi enim iunioris Provinciae domus recentes prudentia eius et experientia erant confirmandae. Igitur die 26 Aprilis 1901 Rector factus est Pulchriprati, ibique iterum Superior renuntiatus, permansit usque ad d. 26 Aprilis 1907.

In patriam tum revertit. Nec tamen hora quiescendi advenit. Consultor primum nominatus est Pl. R. P. Provincialis, quoadusque 11 Martii 1911 ad Rectoris munus vocatus est et quidem in nascenti nostra domo iuvenatus in Esschen.

Deinde die 21 Iulii 1912 ipse toti Provinciae Superior praepositus est. In quo munere, bello exorto, senex onus gravissimum cum virtute tum consilio firmiter et aequo animo portavit.

Deposito hoc gravissimo munere in Esschen permansit, iterum Rector nominatus a die 29 Decembris 1915 usque ad 4 Decembris 1918, deinde Minister, et usque ad finem vitae Consultor aut Admonitor. Ne senex quidem ille, qui semper placido mari videbatur navigare nec unquam de labore anxius, a laborando cessavit. Confratribus suis et praesertim iuvenatus nostri alumnis prudentiam et benignitatem suam impendit. Quotidie in confessionali assiduus, affabilitate et consilio iuvenum nostrorum vere pater est factus.

In hoc denique humili, sed fructuoso apostolatu morte correptus est. Nam neglecta huius hiemis intemperie ad confessiones semper voluit praesto esse. Itaque quodam die frigore et febris commotus, mox mortem appropinquantem vidit. Hilari vultu, alacri animo illam expectavit, postquam maxime cum devotione ultimis Sacramentis est reffectus. Qua placida mente vitam totam pertransiit, eadem illam finivit, usque in finem humiliter de se sentiens, omnibus mansuetum et affabilem se ostendens.

Maneant et floreant inter nos huius exempli fructus, et qui vivens de se humiliter tacuit, defunctus loquatur.